



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Sacrорvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani**

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuißimiè explicantur

**Gavanti, Bartolommeo**

**Antverpiæ, 1634**

De Communi Apostolorum. Cap. I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40244**

de causis celebrari debet eius Festum cum Maiorum consensu? Antiquiores celebabant illius Festum in die , quo in Martyrologio Festum alterius Sancti eiusdem nominis occurrebat; quod notauit Baronius in *Martyrologio die 12. Februarij sub littera E.* vbi trium Modestorum fit mentio. Et hic quidem ritus placet , nisi vbi timetur error in populis, qui credant eum, quem colunt, esse eumdem qui in Calendario Romano descriptus est: quod non sine graui peccato fit hodie alicubi, ut audio , suadentibus tale quid ijsdem de Clero, ut fiat concursus ad eorum Ecclesiam vbi requiescit corpus Sancti eiusdem nominis. quo casu, tutius esset celebrari Festum illius alio die , puta translationis , vel proximiiori. In uigilient autem Episcopi, ad quos attinet sacras approbare Reliquias, ne inducatur hic abusus, neve inductus toleretur. Quæ verò ad Commune Sanctorum attinent, ad sex Capita reuocari possunt.

## SECTIONIS OCTAVÆ CAPITA VI.

1. De Communi Apostolorum.

2. De Communi Martyrum.

3. De Communi Confessorum.

4. De Communi Virginū &amp; non Virginū.

5. De Communi Dedicationis Ecclesie.

6. De Officio beate Marie in Sabbato.

## De Communi Apostolorum.

## CAPUT I.

**A**postolis & Euangelistis communia sunt omnia, exceptis Oratione Lectionibusque trium Nocturnorum; ut videre est in Breuiarijs antiquissimis M-S. Neque dubito , Euangelistas comprehendendi nomine Apostolorum à S. Clemen. lib.8. *Constit. cap.39.* vbi de Festis Apostolorum agit.

2. De Hymnis &amp; eorum auctori-

bus diximus *Seit. 5. cap.6.* Antiphonæ & Psalmi congruent Apostolico muneri & dignitati. In quibus illud certè est singulare ( non in alijs Sanctorum Communibus) quod nouem Psalmi Nocturnorum desumpti sunt , ordine Psalterij , ex Nocturnis integræ Hebdomadæ; primus è *Dominicali Nocturno tertio*, tempus gratiæ significante; secundus è *Feria secunda*; tertius & quartus è *Feria tertia*, in qua creauit Deus maria , & ornauit terram , loca propria iurisdictionis Apostolicae; quin-

quintus & sextus è Feria quarta, in qua produxit Deus luminaria mundi, Apostolica dignitatis indicia; sed hæc Feria dicata est Apostolis, ut diximus in primo Tomo pagina 295. septimus è Feria 5. octauus è Feria 6. nonus è Sabbato: ita ut vnaquæque dies tanto muneri & dignitati merito plaudat, & collæetur; & multò magis Feria tertia & quarta, ob prædictas causas. Lectiones ritè congruunt & Responsoria, ut patet. Quod si dicas, numerum pluralem in hoc Officio adhibitum sæpiùs, non convenire Festo vnius tantum Apostoli; scito, quod principaliter Officium hoc Principum est Apostolorum Petri & Pauli, à quibus ad alios Apostolos translatum fuit: vel Apostolorum Chorum ita esse unum, ut qui vnius celebrat Festum, non excludat alios. Vnde & in Missa Præfatio de Apostolis eos omnes vñà semper complectitur, & concelebrat Amalar. lib. 4. c. 35. indicat, Officium hoc esse antiquissimum. Pius V. ab eo Officio, quod erat in Breu. 1550. nihil fere recessit, nisi quod vnicum Initiorum firmauit, erat enim geminum, alterum aestiu- um, alterum hiemale. Decreuit Lectiones de Scriptura iuxta antiquam regulam Rom. ex Radulph. Propos. 11. addidit alias Lectiones pro Apostolis, ad celebrandas fortè eorumdem Octauas, vel minora eorum Festa, quæ alicubi occurunt: ademit Responsorium nonum, quod amplius non dicitur, & mutauit in melius Capitulum horæ Sextæ.

3. Dices: Superfluum est illud Euangeliū, Hoc est præceptum meum, cum sua Homilia in tertio Nocturno: nam cuiusvis Apostoli Festum habet proprium Euangeliū & Homiliam.

Præterea Euangeliū, Hoc est præceptum meum, deferuit nunc Vigilijs Apostolorum; ergo collocandum in eodem quidem Communum, sed ante Orationem communem de Vigilia. Sed hæc argumenta sub Pio V. nulla erant; quia in Festo sancti Barnabæ legebatur Euangeliū, Hoc est præceptum: cuius Homilia ideo debuit collocari in tertio Nocturno. Quid igitur sub Clemente VIII. cendum erit? Cùm singula Communia suum habeant in tertio Nocturno Euangeliū cum Homilia, in prima recognitione Breuiarij nulla vila fuit mutandi loci ratio; imò accidere potest alicubi, quod fratraliquid Festum Apostolorum non principale, in quo, ad differentiam Festi principalis, legi poterit Euangeliū possum in Communis: quatenus de causa additum fuit, ut intuimus, à Pio V. aliud Euangeliū, Ecce nos reliquimus omnia. quod Abbatum Communis reseruari poterat. Tandem in postrema Breuiarij recognitione repulatum est illud, & optimè, sub tñb Vigil. Apostolorum; & in 3. Nocturno aliud: Ecce nos reliquimus omnia.

4. In tertio Nocturno frequenter auditur Alleluia: & rationem affert Amalarius de Ord. Antiph. capite 59. quia extiterunt primi, qui, viso Domino resuscitato, gauli sunt, nempe in tertio statu naturæ humanae post legem, tempore uberioris gratiae.

5. In secundis Vesperis dicuntur Antiphonaæ aliae à primis Vesperis & Laudibus, ad maiorem scilicet solemnitatem, & ad declarandam eorumdem propinquitatem maiorem cum Christo, in cuius Festis fit hæc additione Antiphonarum, & multiplicatio.

Dixi-

Diximus etiam *Secl. 5. cap. 7. num. 4.*  
pag. 74. Antiphonas significare charitatem; quae resulst in Apostolis super alios, ut meritò abundare debet Antiphonis eorum Officium, & nouis. *Charitas Christi urget nos,* aiebat Paulus aliorum nomine. In Nativitate S. Ioannis Baptizæ idem fieri non nego; imò & inde fieri puto, quia missus à Deo, id est Apostolus, ipse quoque fuit Christo carne propinquior & mente. In Feste quoque plurimorum Martyrum idem fit; quia maiorem charitatem nemo habet, quam, &c. & vbi plures coluntur Martyres simul, multiplicata charitas per Antiphonas plures indicari debet, quod anticipatè monimus hoc loco, ne idem repeta-  
mus infra.

6. Lectiones pro Euangelistis in primo Nocturno addidit Pius V. con-  
gruentissimas; reliquæ erant in vsu. Sed  
Lectiones 3. Nocturni cum Euange-  
lio de missione binorū Discipulorum in duobus Festis leguntur, Marci ni-  
mírum & Lucæ; qui quasi bini scri-  
ptores mittuntur ad messem.

7. Tempore Paschali æquum erat, ut Apostolis, qui virtute magna reddebat testimonium Iesu Christi, daretur Officium lætitia plenum; quibus & promiserat Christus gaudium plenum. Durandus indicat mutationem hanc Officij libro 7. cap. 45. Pius V. diuinit Hymnum in duas par-  
tes, ita ut altera in Laudibus cantari queat cum varietate; ordinavit me-  
lius Responsoria, restituto primo, quod reiectum fuerat, citatum à Du-  
rando *supra*. De vna Antiphona cum tribus Psalmis, vide *Secl. 5. cap. 7.*  
num. 5. pag. 74.

## De Communi Martyrum.

## C A P. I I.

**M**artyrum Festa antiquissima sunt, Clemente teste lib. 8.  
*Apostol. Constit. cap. 39.* &  
vidisti in Sectione precedenti.

2. Alij sunt Martyres Pontifices, alijs non Pontifices; & utrisque datur Officium commune, excepta Oratio-  
ne, & Lectionibus primi Nocturni,  
*A Mileto:* quæ leguntur tantum in Feste Martyris Pontificis, cui congruit ea narratio de Paulo recedente ab ouibus. Itaque in Feste Mart. non Pontificis leguntur aliae, quæ habentur in Communi plurimorum Martyrum, de Epist. ad Rom.

3. Lectiones 2. & 3. Nocturni plures sunt in Communi posite, tum ad varie-  
tatem, præsertim infra Octauas; tum ad proprietatem, quia in Missali diuer-  
sa Festa diuersa habent Euangelia.

4. Dices: Quid agendum, quando in Missa legitur Euangeliū, cuius Homilia, nulla habetur in Communi? quo-  
modo concordabitur eo casu Officium cum Missa? Respōd. Legenda erit Homilia, quæ fortè in Proprio Sanctorum habetur; ut Homilia super Euangeliū. *Nihil opertum, &c.* quæ habetur in Feste S. Polycarpi. Quod si non habeatur in Breuiario, veluti super Euangeliū, *Nolite arbitrari, vel, Qui vos audiit, me audit,* & similia; recurre ad Octauarium Romanum, in quo ha-  
bentur Homilia de quocumque Euangeliū quod habetur in Missali: si Octauario careas, lege in Officio Homilia Euangeliū, quam habes in Communi; & in Missa deinde idem Euangeliū leges, iuxta Rubricam quæ in Missali habetur post primam Missam

Z de